

pitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium
 viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non
 deprehenditur, tamen officio mulcta praescribitur. Quod
 sacerdotibus fani legaverit christiana vidua, valet: quod
 ministris Dei, non valet? Quod ego non ut querar, sed ut
 sciant quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia
 minores esse, quam gratia. Sed referunt ea, quae vel donata
 vel relicta sunt ecclesiae, non esse temerata. Dicant et ipsi quis
 templis dona detraxerit, quod factum est christianis. Quae si
 facta essent gentilibus, redderetur potius, quam inferretur inju-
 ria. Nunc sine demum justitia praetenditur, aequitas postulatur?
 Ubi tunc erat ista sententia, cum direptis christianorum
 omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus inviderent, et
 nullis usquam negata defunctis inhiherent supremae commercia
 sepulturae? Quos gentiles praecipitarunt, maria reddiderunt.
 Fidei ista victoria est, quod et ipsi jam facta majorum carpunt,
 quorum gesta condemnant, sed quae, malum, ratio, ut eorum
 munera petant, quorum gesta condemnant? Nemo tamen dona-
 ria delubris, et legata haruspibus denegavit: sola sublata sunt
 praedia, quia non religiose utebantur iis, quae religionis
 jure defenderent. Qui nostro utuntur exemplo, cur non
 utebantur officio? Nihil ecclesia sibi, nisi fidem possidet.
 Nos redditus praebet, hos fructus. Possessio ecclesiae sumptus
 est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos,
 quae contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi
 subsidia ministraverint. Praedia igitur intercepta, non jura
 sunt. En quod factum, quod triste piaret nefas, fames, ut
 ajunt, publica vindicavit; quia usui omnium proficere coepit,
 quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo
 detractis, ut ajunt, arbusta exuta corticibus, succo miserabili
 deficientium ora lambebant. Propterea Chaoniam frugem
 glande mutantes, rursus in pecudum pastus, et ad infelicis
 victus alimenta revocati, concussa quercu, famem in sylvis
 miseram solabantur. Nova videlicet prodigia terrarum, quae